

ipsos factam intercessionem & recommendationem, habito etiam Camerarum Nostrarum Aulicae & Hungaricae superinde voto ac opinione, de Regiae nostrae potestatis plenitudine eosdem Oppidanos & Incolas in numerum ac ordinem aliorum Liberorum Regionumque Oppidorum Nostrorum recipiendos, aggregandos & Oppidum Nostrum Regium, quod felix faustumque Deus O. M. esse velit, nominandum ac intitulandum duximus, statuentes & clementer ac per expressum decernentes, ut iidem Oppidani & Incolae a modo deinceps futuris ac perpetuis semper temporibus, cum praespecificatis omnibus bonis, ad praenotatum Oppidum, Castellumque ac Territorium Czirkueno de Jure & ab antiquo spectantibus & pertinere debentibus, pro Libero ac Regio Oppido nostro, instar aliorum Oppidorum Nostrorum, ab omnibus fidelibus subditis & Regnicolis nostris Hungariae, Croatiaeque & Sclavoniae agnosci, scribi, dici, nominari ac intitulari debeat. Ita tamen & ea conditione, ut ipsi Oppidani & Incolae Czirkuenovienses sese in omnibus Oppidis, Civitatibusque nostris Liberis ac Regiis conformare & ab ingratitudinis ac infidelitatis nota & macula, sub poena amissionis & ablationis hujus ac aliorum praemissorum omnium Privilegiorum & libertatum suarum, quam ipso facto incurrant, perpetuo sibi cavere, hocque insigne beneficium & non vulgarem gratiam & clementiam nostram, in ipsos collatam de nostra Majestate & consequenter praetitulata Augusta Domo nostra, haeredibusque & successoribus nostris legitimis nimirum Hungariae Regibus omni fide, constantia & fidelitate jugiter demereri studere debeant ac teneantur. Imo conservamus, anuimus, concedimus, recipimus, annumeramus, adscribimus, cooptamus, exornamus, nominamus, intitulamus, statuimusque ac decernimus; praesentibus Privilegii Nostri patrocinio mediante. Salvo jure alieno. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam hasce Litteras nostras Privilegiales secreto sigillo Nostro, quo ut Rex Hungariae utimur impendentis munimine roboratas, saepefatís Oppidanis & Incolis Czirkuenoviensibus, ipsorumque posteris & successoribus universis perpetuo valituras gratiose dandas duximus & concedendas. Datum per manus fidelis Nostri, nobis dilecti, Reverendi Thomae Pálffy ab Erdöd Episcopi Ecclesiae Nitriensis, locique & Comitatus ejusdem supremi ac perpetui Comitís, Consiliarii Nostri & per Suprafatum Regnum Nostrum Hungariae Aulae Nostrae Cancellarii, in Civitate nostra Vienna Austriae, die vigesima nona Mensis Januarii, Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio. Regnorum Nostrorum Romani decimo quinto, Hungariae & reliquorum decimo octavo, Bohemiae vero anno decimo septimo.

Leopoldus m. p.

(L. S.)

Thomas Pálffy m. p.

Episcopus Nitriensis.

Stephanus Orbán m. p.

A tergo :

Anno Domini Millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto, die duodecima Mensis Februarii, in generali Dominorum Statuum & Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Congregatione Varasдини celebrata, praesentes